Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Parnassvs Poeticvs Mœsto-Lætatus

Höfflich, Hieronymus

Altdorphii, 1623

VD17 VD17 15:745589E

XXVII. In quibus vita felix consistat ex mart

urn:nbn:de:bsz:31-138658

Visual Library

Sed fœdata ſecat ſubitis grus ſidera pennis
Et tangit verbis ultima verba ſuis
Quanta mea eſt levitas? gravitas tua Quanta? quid obſtat
Quo minus æquiparem me tibi, teq; mihi.

XXVII.
In quibus vita felix conſiſtat Ex Mart:

En narrabo tibi res queis potes eſſe beatus
Donec iu hoc fagili corpore ſanguis ineſt;
Gaza relicta tibi annoſi poſt fata parentis;
Non quæ ſit duro parta labore tuo,
Non ingratus ager, ſua ſed ſint arva colono
Grata & perpetuo luceat igne focus;
Lis nunquam; Toga rara; ſimul mens conſcia recti,
Ingenuæ vires corpore ſub valido;
Simplicitas conjuncta cui eſt prudentia rerum;
Iungito amicitias & tibi rite pares;
Sit victus facilis nec menſam fercula lauta
Ornent, non noctem pervigilesq; mero,
Tum membris placidam relinquat cura quietem:
Nec turbet ſomnum ſollicitudo tuum;
Triſtia ſic non ſint ſocialia fœdera lecti,
Caſta tamen; caſtus ſit tibi namq; thorus,
Cum ſuadent gratos labentia ſidera ſomnos,
Fac tenebras, rectè ſi ſapis ipſe, breves;

Eſto

Eſto tuâ ſemper contentus conditione
Non optes ſummum non metuasq; diem.

XXVIII.

Non Vivimus ut edamus ſed edimus ut vivamus.

Non ideo è vili mortalia corpora limo
Mirandùm ſummus condidit ipſe Deus,
Ut demus vitam tantum dapibusq; meroq;,
Sævis ceu brutis eſca ſoporq; placent,
Quin data ſunt nobis potusq; cibusq; miſellis,
Poſſimus vitam ducere quisq; ſuam,
Non ergo totam mortales perdite vitam
In lautis epulis deliciisq; meri
Sed motus carnis diris compeſcite vinclis
Ne quà Spiritui triſtia damna paret.

XXIX.

Multi homines ſua ſtultia mala incurrunt & poſteò eventum fato aut fortunæ aſſcribunt.

Verum eſt quod veteres olim finxere parentes,
Nec truncis vanè fabula dicta ſequens,
Ad putei fauces feſſus, ſomnoq; ſepultus,
Dum recubat ducens ocia blanda puer.
Hunc adiit ſubitis pedibus Fortuna jacentem
Excitat, & promit pectore verba ſuo

Sur-